

JOHANNI HENRICO.

*Filiolo multi delicii & expectationis.
NOBILISSIMI atque CONSULTISSIMI
DOMINI*

JOHANNIS

Baumgartens/

*Secretarij de Curia Thoruniensi optime
meriti,*

*Ipsò die Exequiarum
Anno M. DCC. die 26. Novembr.
monumentum doloris & honoris posuit
Quadriga Thoruniensium.*



E Chalcographeo Thoruniensium.

UT tener occumbit curvo flos tactus
aratro,

Immatura perit grandine quassa seges.
Mors fera BAUMGARTI rapuit florentibus

Invida nunc Natum, sic tulit ante diem.
Vix sibi jam primo vernabat flore juventus,
Dum rupit vitam mors violenta suam.

O duram Lachesin! quod nunc rapis, heu
brevis est flos,

Qui poterat Patriæ, tum Patris, esse decus,
Quid fraudare juvat primæ lanuginis annos,
Et celeri mortis facta ciere manu!

Parcere te decuit, viridi florentibus ævo,

Ingenii meritis gratia si qua foret.
Sed quid ego variis Manes infesto querelis,
Incusans subitæ facta severa necis?

Nulli certus adest hominum status omnibus
horis,

Omnia vietricis sub juga mortis eunt.

Non vita æternum, non est fortuna perennis,
Mors semper rapido captat avara pede.

Heu! nihil est ullis Parcas urgere querelis,
Reiiciunt surda quaslibet aure preces.

O quoties, multos sibi qui promiserat annos,
Illiu

Illius in primo flore juventa perit.
Ne doleas ergo nimium mala fata JOHAN-
NIS,

Non periit siquidem, praeiit ille modo.
In studiis omnes progressus fecit, Olympi
Dum factus Civis, dogmata cuncta sciet.
Dogmata cuncta sciet Natus, quia Doctor in
arce
Coeli, CHRISTUS, eum dogmata cuncta
docet.

Non est, ut fugiat pravos crassosq; sodales,
Qui teneram mentem dedecorare valent.
Mundi delicias ridet, super astra locatus,
Quem totus mundus non revocare potest.
Ergo piam requiem Nato concede rogaque,
Uttumulo avito molliter ossa cubent-

Condolens apposuit
Georgius Henricus Wachschlager.

Hic iacet ingenuæ frontis formæque venustæ,
Baumerat. delicium Patris, Matriisque colendæ
Majorum genio placuit, veneranda venustas,
Serius huic gestus fuit & matura loquela,
Splendorem generis decerpserat ille *Johannes*,
Vix mundi novus hospes erat, vitæque caducæ;
Atrigerat tenero pede *Baumgart*, limina terræ,
Formosus *Juvenis*, solamen dulce Parentum.
En Patris Matriisque amor & supremâ voluptas!
Mater quem genuit deplorat chara Thoruna,
Iam spes filiolicollapsa est, cuius ab annis,
Sit licet exiguis, crescebat gloria major,

Egre-

admis fieri dem Brunn Lib. cunis pat. gethan
Egregias de se spargebat nominis auras,
Sed flos mature curvata est falce resectus
Et nostris oculis erepta est chara propago,
Est puer ostensus, *Genitor*, tibi tempore certo
Æternis modo sed seclis est traditus ille.
Parce, Parens, lacrimis, nec longo incumbe dolori,
Maturum cecidit senium, flos iste Iuventæ.

Dolenti calamo & animo posuit.
Michael Wachschlager.

Belle puer, vultus purâ cui purior undâ,
Tam citò te mundo mors inopina rapit?
Cur linquis gemitum misero lacrumasque Parenti,
Pro quibus heu! tristis nunc tibi dat tumulum?
Sic capitur primo Phœbi tirunculus ævo,
Carpitur atque suum flosculus ante diem.
Majores igitur subitam ne plangite mortem,
Dum nondum fructus protulit ipse suos;
Linquit Vos, mœsti, lacrumarum fluctibus udis,
Ast capit in cœlo gaudia mille sibi.
Hunc Deus ac Olitor Paradisi sevit in horto,
Arbor tunc ejus nobilis esse cluit.
Cresce, vige, flore, fructus fer, fertilis arbor,
Te Deus in que suo crescere servet agro.
Nam quia Tu florens matura es morte peremptus,
In domibus superis arbor ut alta vige.

Condolens f.
A. A.

Cum voluit tua mens alios hâbitare Penates,
Te nova mox sequitur tristitiaque nota,
Filiolum siquidem perdis, qui dignus in orbe
Nestorios fuerat vivere rite dies.
Gaudia sic nova, sic præcox rapit anxius angor,
Abscondit plures mœstitiaque modos,
Non mirum: Natus quia priscas occupat ædes,
Atque novis Dominum sedibus esse finit.

condolens f. Antonius Giring.

Ms. 1130 Dp

hyp. 3 art. 40